Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1209
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 125. *Incipit lectura 4 libri sententiarum Magistri Landulphi ordinis fratrum minorum.* Ita: *Fundamentum &c. Circa IIII^m librum incboando quero vnam questionem scilicet. Vtrum totalis nouitas alicuius effectus sit a virtute illimitata tantum.* &c. Extrema sunt: *Ad quam ille ipse nos perducat, cuius regnum et imperium sine fine permanet &c. Amen. Explicit 4us sententiarum,* ut supra, et rursum Tabula.

DXVII.

U. 440 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 108. f. per duas columnas non tamen eadem, qua praecedens, manu exaratus, coloribus distinctus, et, ut notatur in theca anteriore, quondam *deputatus ad vsum fratris Nycolai de Valchenstein studentis de prouincia Austrie* est juxta clausulam Tabulae in calce Codicis ejusdem *Landulphi* Commentarius in II. Sententiarum, ut adeo non nisi Scriptum in III. nobis desit. Init: *Fundamentum primum* &c. *Celeber doctor bernardus mundialis fabrice conditionem admirans* &c. et clauditur: *nunquam inops et gaudens lucris. Qui es benedictus in secula seculorum. Amen.* Tabulam Quaestionum adesse jam dixi. Commentarium hunc impressum existere in Bibliotheca *S. Laurentii* major. *Neapoli* testatur *Nic. Toppius* in *Bibl. Neapolit.* p. 185. a me nunquam visum. Sed dolet Vir bonus nec Typographum, nec annum editionis sciri posse ob folium primum avulsum, in quo haec sane non oportebat quaerere, siquidem, ut ait, vetusta est Editio.

DXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 445 XIV. Folior. 350. f. per duas columnas nitide scriptus, et picturatus, olimque, ut theca postica docet, M. *Johannis Röchel* (Argentinatis), qui eum a. 1411. comparaverat 7. florenis vngaricis, est juxta verba clausulae *Lectura primi sententiarum edita a fratre gregorio de arimino ordinis fratrum heremitarum sancti augustini qui legit par.* (isiis) *Anno domini* 1344. Initium prolixi operis est: *Circa prologum libri sententiarum quero primo, utrum de obiecto theologico per theologicum discursum notitia proprie scientifica aquiratur* &c. et finis: *ut in omnibus nostra sit diuine uoluntati conformis eo prestante qui est super omnia benedictus in secula seculorum amen.* Tum clausula jam adlata, et aurea regula:

Qui dare vult alijs non debet dicere vultis.

Accedit primum Index tractatorum alphabeticus cum altera parte regulae:

Hoc verbum vultis nocuit saepissime multis.

dein